

# HINCMARUS

RHEMENSIS ARCHIEPISCOPUS

## AD OPERA HINCMMARI PROLEGOMENA

### NOTITIA HISTORICA

(Apud Cave, Scriptorum ecclesiasticorum Historia litteraria.)

HINCMMARUS, nobili apud Gallos loco natus, a pueritia in cœnobio sancti Dionysii prope Parisios sub Hilduino abbate educatus est; (a) ubi tum litteris tum pietate mire profecit; et cum felici et acuto ingenio præditus esset, non mediocrem in aula apud Ludovicum imperatorem gratiam inivit. Hilduinum anno 830 in Saxoniam relegatum, ipse, permittente episcopo, in exsilium comitatus est, eique exsulanti non ingratas suppetias tulit. Deposito anno 835 ob perduellionis crimen, Ebbone, vacaverat jam fere decennio sedes Rhemensis, cum incunte anno 845, in synodo Belvacensi, concurrentibus tum cleri tum populivotis, favente etiam Carolo rege, Rhemensis archiepiscopus Hincmarus ordinatur; cujus electionem anno sequenti episcopi in conventu Parisiensi congregati suffragiis suis iterum confirmarunt, redditus tunc etiam a rege Carolo Ecclesiæ Rhemensis possessionibus, quas, vacante sede, palatini diriperant. Anno 848 synodo Carisiacensi interfuit, et in decretis synodicis contra Gotteschalcum aut hic, aut alibi factis, primas fere ubique partes tulit. (b) Anno 853 habita est synodus Suessionensis, uti ipsius synodi Acta testantur, etsi Flodoardus anno episcopatus Hincmarii septimo habitam referat. In hac synodo Hincmarus ordinationem suam iterum confirmari, et Wulfadum, cæterosque presbyteros ab Ebbone post depositionem anno 840 ordinatos dignitate sua submoveri effecit. Anno 855 decreta in concilio Carisiacensi Hincmaro satagente septennio ante lata in synodo Valentina cassata sunt. (c) Decreta synodi Valentinae anno 859 confirmarunt concilia Lingonense et Tullense; quorum capitula, Carolo regi oblata, a rege data sunt Hincmaro confutanda. Præstitit id ille scripto opere insigni. Anno 860 duplici synodo Aquisgranensi adfuit, (d) ubi Theutberga secum fratre Hucberto rem habuisse, seu vi, seu veritate id cogente, confessa, Patres eam Lothario regi abdicandam esse, et publicæ pœnitentiæ addicendam decreverunt. Præclaram id Hincmaro multa agendi scribendique ansam suppeditavit. Eodem anno concilio Tullensi et sequente Aquisgranensi in subscripsit. Anno 863 aderat concilio Metensi (e), in quo ratæ sunt habitæ Lotharii regis nuptiæ cum Waldrada, post repudiatam Theutbergam in itæ. Istud vero concilium mox a Nicolao papa in synodo Romana damnatum est. Eodem anno Hincmarus, impetrata privilegiorum Rhemensis Ecclesiæ confirmatione, Rothadum Suessionensem episcopum cedere renitentem habito concilio Silvanectensi deponi, alioque in ejus locum

A subrogato, in monasterium detrudi fecit; cumque sedem apostolicam appellaret (exstat *libellus Appellationis* apud Baron. ad an. 863 num. 81, et Concil. tom. VIII, p. 785), eum iterum damnavit. Intercedente quidem Nicolao pontifice Rothadum e carcere dimisit, Romam vero ire, quo ad iudicium instaurandum eum mitti præceperat pontifex, nequaquam permisit. Nec tertio quidem a Nicolao admonitus, proposito suo abscedere voluit. Quamvis etiam quotidianæ minæ de litteris excommunicatoriis Roma mittendis ei intentarentur, omnibus tamen insuper habitis, canonum auctoritate se tuebatur, ut ex apologetica ipsius ad Nicolaum epistola abunde liquet. Anno 865 in concilio Romano Rothadus sedi suæ restitutus est, rescisso duplici Hincmarii iudicio (f). Anno 866 concilio Suessionensi III præfuit, in quo Wulfadus sociique presbyteri Nicolai papæ jussu dignitatem pristinam recuperarunt. Anno sequente in concilio Trecassino, cui præsedit, eandem causam accuratius expendit. Anno 869 Hincmarum episcopum Laudunensem, nepotem suum, criminum plurimorum accusatum in synodo Vermeriensi, ipse illi præ cæteris infensus calculo suo damnavit. Hinc graves patrum inter et nepotem inimicitiae, et larga magnarum rerum materia. Anno 882, erumpentibus in Galliam Normannis, Hincmarus desertis Rhemis, et ablato secum sancti Remigii corpore, silvestria loca trans fluvium Matronam petiit; ubi in villa Sparnaco x Kal. Januarii diem clausit extremum, in S. Remigii monasterio sepultus. Non meum est de tanto viro iudicium ferre, quem *reverendissimum et desideratissimum virum, et merito rectæ fidei ac sanæ professionis ab omnibus catholicis rite venerandum* vocat, qui ipsum optime novit, Rabanus Maurus. *Nobilitatem generositatis, inquit Lupus Ferrariensis (epist. 42), ornat eruditio salutaris, altitudinem officii commendat religio professionis.* In facultatibus Theologicis, concedente id ipso Baronio (ad an. 882, num. 17), erat excellentissimus, quem consuluerint plures de diversis quæstionibus; in scientia canonum eruditissimus, licet interdum nimis iis favens, super apostolicæ sedis decreta eos extulerit. Et sane Ecclesiæ leges et jura nemo melius intellexit, nemo animosius defendit. Ejus Opera, multa quidem eruditione, doctrina, pietate referta, Ecclesiæ Gallicanæ historiam mire illustrant; de quibus recte Sirmondus, *in iis nullum esse quod utilitate sua careat, et in quo præstans auctoris iudicium cum scientiæ copia non eluceat.*

(a) Flodoard. Hist. Rhemens. lib. III, per totum.

(b) Concil. tom. VIII, p. 79.

(c) *Ibid.*, p. 137. *Loc. citat.* p. 673, 674.

(d) *Ibid.*, p. 696.

(e) *Ibid.*, 784.

(f) Concil. *ibid.*, p. 808. etc.